



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 40. Quomodo practicè elici possit actus Charitatis in Deum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

*unitivæ amittitur omne motivum interessatum timoris
et spei; &c:*

Q. 40. Quomodo practicè elici possit actus Charitatis in Deum. R. Praeire debent Fides & spes, ac convenientissimè subjicitur Contritio, hoc aut simili modo:

Fides.

OMnia, mi Deus! quæcunque per Ecclesiam Unam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam proponis credenda, firmissimè credo, quia tu dixisti, qui es infinitè sapiens, Verax & perfectus. Credo te esse, qui gubernas omnia, te esse supernaturalem Remuneratorem bonorum & Punitorum malorum, Animas esse immortales, Gratiam esse necessariam ad salutem, Te esse Unum in essentia & Trinum in Personis, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, Secundam Personam esse pro nobis factam hominem & passam, Christi gratiam nobis conferri per Sacra menta, & propter ejus merita nobis promissam esse æternam beatitudinem à te Deo fidelissimo, potentissimo & misericordissimo dandam: Credo te in te ipso propter infinitas tuas perfectiones esse Deum amabilissimum, Finem ultimum rerum omnium, dignissimum non offendti sed semper amari & honorari: haec cæteraque omnia credo, mi Deus, quia tu dixisti, qui es infinita Veritas, non potens falli nec fallere, non potens errare aut mentiri. Credo Domine, adjūva incredulitatem meam.

Spes.

Spes.

SPerò mi Deus! remissionem omnium peccatorum, gratiam in fine vitæ, omnia media ad salutem, spero vitam æternam: Desidero illa omnia, quia tu es animæ meæ bonum summum & unica beatitudo; erigor autem & confido me illa omnia obtenturum per gratias & propter merita Christi, quia tu Deus es virtus mea auxiliatrix, quia tu promisisti, qui in promissis tuis servandis es Deus fidelissimus, potentissimus servare, & misericordissimus, ut serves. In te Domine speravi, non confundar in æternum.

Charitas.

AMo te, mi Deus! non ideo tantum, quia creasti me, redemisti, sanctificasti, conservas, & innumeris quotidie beneficiis cumulas; neque tantum ideo, quia insuper dare vis mihi æternam in cœlo beatitudinem, sed ideo maximè & super omnia te amo, quia tu Deus es ob infinitas perfectiones tuas omni amore dignissimus: Tu es Deus sapientissimus, potentissimus, sanctissimus, pulcherrimus, indefectibilis, æternus, immensus, incomprehensibilis; tu es omne bonum in te ipso, propter te æstimari dignissimus, coli, honorari, licet nec præmium à te sperandum nec pœna timenda esset. Illas tuas perfectiones tibi ex animo faveo & gratulor, gaudeo te ab hominibus agnosci, te ab Angelis tuis incessanter

H 4 laudari,

laudari , te tibi complacere in te ipso : Utinam cessent omnia peccata hominum , quia tibi infinitè bono mala sunt : utinam te creaturæ omnes ament, revereantur, adorent, quantum possunt, & sicuti propter infinitam tuam Excellentiam mereris : utinam in omnibus impleatur tua sanctissima voluntas , & fiat semper , quod tibi maximè est placitum : Ex hoc in te amore, mi Deus ! amo Angelos & homines ejusdem mecum beatitudinis capaces , amo me ipsum, sed semper propter te , quia tu infinitè bonus hoc vis, & tibi hoc placet, quia tibi bonum est, quod ita ab omnibus & in omnibus agnoscaris , ameris , lauderis.

Contritio.

156 **E**X hoc eodem tui amore , ô Deus ! detestor omnia peccata , quia tibi summè bono dispiacent : Doleo de omnibus , non tantum quia demeritus sum præmia & gratias tuas , ac è contrà à divina tua Justitia promeritus sum poenæ , sed maximè ideo , quia displicui & malum feci tibi , qui , licet nec cœlum esset nec infernus , nec præmium vel poena , attamen propter infinitam honestatem & perfectionem tuam eras & es dignissimus non offendì , sed semper amari , coli , honorari : Propono per gratiam tuam imposterum non facere amplius.

157 **Q.** 41. *Quomodo præterea possit voluntas nostra exerceri in actibus amoris perfecti.* R^e. Subjiciam aliquos modos ex Scriptura , Sanctis Patribus & Auctoribus asceticis , ut quisque in promptu habeat ad suos & aliorum usus .

Amor